

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. XXI. De Ademptione & Translatione Legatorum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

## TIT. XXI.

De Ademptione & Translatione  
Legatorum.

## De ademptione.

**A**DEPTIO legatorum, sive eodem testamento adimantur, sive codicillis, firma est: sive contrariis verbis fiat ademptio: veluti, si quod ita quis legaverit: *Do, lego, ita adimatur, non do, non lego:* sive non contrariis, id est aliis quibuscumque verbis.

## De translatione.

*Ex Caj. l. 3. ff. d. adim. transf. leg.* 1. Transferri quoque legatum ab alio ad alium potest: veluti, si quis ita dixerit: *Hominem Stichum, quem Titio legavi, Seio do, lego:* sive in eodem testamento, sive in codicillis hoc fecerit. Quo casu simul & Titio adimi videtur, & Seio dari.

## I.

**L**egata tolluntur I) *Ademptione*, quæ est Declaratio voluntatis, qua legatum vel fideicommissum illi, cui antea recte relictum est, ab eo, *qui hoc reliquit*, adimitur; *PR. f. b. l. i. ff. d. adim. vel transf. leg. & fit* 1) *Verbis*, iisque directo contrariis, aut æquipollentibus, *PR. f. b. j. l. 29. ff. d. adim. vel transf. leg.* expressis sive eodem testamento s. codicillis *d. PR. coram 5. testibus; a. l. f. S. f. C. d. Codicill. j. l. 35. ff. d. R. f.* 2) *Factis*, ad ademptionem tendentibus aut *directe*, aut *indirecte*: ut alienatione voluntaria, *l. 18. ff. d. adim. vel transf. leg.* etiam *hodie*. II.) *Translatione*, quæ est ultima contestatio (e. g. coram 5. testibus facta) qua legatum  
antea

antea relictum *immutatur, & aliud constituitur.* §. I. *J. h. l. 5. l. 6. ff. d. adim. vel transf. leg.* Nihil interest sive in eodem testamento sive in §. I. I. h. codicillis suscipiatur; *d. §. 1.* Eaue *contingit,* si mutetur 1) Persona honorata, 2) Persona onerata, 3) Res legata, 4) legandi Modus. *l. 6. ff. cod.*

## TIT. XXII.

### *De Lege Falcidia.*

*Continuatio. Ratio, & summa hujus legis.*

**S**UPEREST, ut de *Lege Falcidia* dispiciamus, qua *modus* novissime legatis impositus est. Cum enim olim *Lege duodecim Tabularum* libera erat legandi potestas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare: quippe cum ea lege ita cautum esset: *Uti quisque legasset suæ rei, ita jus esto;* visum est hanc legandi licentiam coarctare: idque *ipsorum testatorum gratia* provisum est, ob id, quod plerumque intestati moriebantur, recusantibus scriptis heredibus pro nullo aut minimo lucro hereditates adire. Et cum super hoc tam *Lex Furia*, quam *Lex Voconia* latæ sunt, quarum neutra sufficiens ad rei consummationem videbatur; novissime lata est *Lex Falcidia*, qua cavetur, ne plus legare liceat, quam *dodrantedem* totorum bonorum: id est, ut sive unus heres institutus sit, sive plures, apud eum *eosve* pars quarta remaneret.

#### *De pluribus heredibus.*

i. Et cum quæsitum esset, duobus heredibus institutis, veluti Titio & Sejo, si Titii pars aut tota exhausta sit legatis, quæ nominatim ab eo data sunt, aut supra modum onerata: a Sejo vero aut nulla relicta sint legata, aut quæ partem ejus duntaxat in

§ 2

partem